

infallibilitate instructa esse possint. Nihilominus id per solam praesentiam, aut per ipsam approbationem R. Pontificis, ut Inquisitionis praesidis, nondum fit; sed tum tandem, quando in forma *specificam* approbans jusserit decretum aliquod, quod ceteroqui rem infallibiliter decidendam tractat, *suo nomine* ad universam Ecclesiam dirigi atque illud promulgari curaverit. — Sessio triplex S. Officii distingui solet, 1. feriis II., in qua *praeparatur* causa decidenda; 2. fer. IV., in qua Cardinales Inquisitores in causa decidenda *votum suum dare* solent; 3. sollemnis fer. V. (vel aliquando fer. IV. loco V.), in qua Cardinalium decisionem Summus Pontifex, in sollemni sessione tantum praesidere solitus, aut *approbare*, aut corrigere vel differre consuevit.

2. *S. Congregatio Indicis* S. Officio in auxilium data, at propria auctoritate instructa, quae curam exercet in prohibendis damnandisque libris: damnatio illa, etsi fiat approbante R. Pontifice, non ea est, quae fiat per ipsas literas Apostolicas. Congr. Ind. incepta est per S. Pium V., in novam formam redacta a Sixto V. Const. „*Immensa*“, denuo confirmata a Ben. XIV.

203 3. *S. Congregatio Concilii Trid.* interpretum (seu breviter S. C. C.) inchoata a Pio IV. et S. Pio V., hodiernam formam accepit a Sixto V.: potestate donata est interpretandi decreta disciplinaria Conc. Trid., consulto tamen R. Pontifice: quare causas huc spectantes dirimendas suscipit.

4. *S. Congregatio Episcoporum et Regularium*, ad quam decidendae referuntur quaestiones et controversiae oriturae inter diversos Episcopos, inter Episcopos et Regulares, vel intra religiosum ordinem inter praelatos et subditos. Praeterea ad hanc Congr. Epp. et Reg. referuntur causae, quae spectant confraternitates, capellanas, jus patronatus, dismembrationem parochiarum, atque etiam quae respiciunt religiosorum vota, clausuram, approbationem congregationum religiosarum votorum simplicium. Instituta est a Sixto V.; v. Bullam „*Immensa*“.

5. *S. Congr. jurisdictionis et immunitatis ecclesiasticae*, quae jus dicit in causis immunitatem et libertatem Ecclesiae spectantibus; instituta ab Urb. VIII. 1626.

6. *S. Rituum Congregatio*, quae liturgicas quaestiones dirimit atque decori sacrarum caerimoniarum in sacris functionibus servando invigilat: extraordinarium S. Congreg. hujus negotium est etiam causas beatificationis et canonizationis dirigere: cf. ejus institutionem per Sixtum V. in Bulla cit.

7. *S. Congr. Indulgentiarum et Reliquiarum*, cujus est providere, ne falsae et apocryphae indulgentiae vulgentur, neve reliquiae falsae vel dubiae venerationi exponantur: generales concessionem indulgentiarum huic S. Congreg. indicari debent, quo fiant plene authenticae et validae; generales earum petitiones apud illam fieri solent, et per eam S. Pontifici proponuntur vel commendantur; illius etiam est, dubia et difficultates, quae circa indulgentias aut reliquias oriantur neque ad fidei dogma pertineant, expedire, consulto in rebus gravioribus S. Pontifice. Ut perennis congregatio constituta est a Clem. IX. 6. Julii 1669.

8. *S. Congregatio de Propaganda Fide*, incepta aliquatenus a Greg. XIII., sed stabilita et ad hodiernam formam composita a Greg. XV. 22. Julii 1622 Constit. „*Inscrutabili*“: quae nomine S. Pontificis jurisdictionem exercet in omnes regiones „*Missionum*“, seu in quibus ordinaria hierarchica jurisdictio et dioecesium parochiarumque circumscriptio nondum constituta

vel nondum perfecta est, atque pro illis regionibus haec Congregatio est loco omnium aliarum: in gravioribus negotiis ipsa Congreg. sanctionem decretorum suorum a S. Pontifice petere debet.

9. *S. Congregatio super negotiis ecclesiasticis extraord.*, constituta 1814 a Pio VII., quae in difficilioribus adjunctis et rebus R. Pontificem consilio juvare debet, praecipue in gravioribus rebus cum civili auctoritate gerendis, concordatis concludendis adhibetur.

V. Data hac jejuna notione praecipuarum Congregationum, aliquid<sup>204</sup> dicendum restat de vi et auctoritate decretorum et decisionum S. Congr.

1. Certum est, in causis particularibus adeoque pro iis, quorum causa agitur, decreta et decisiones esse obligatoria.

2. Certum est etiam, sententiam, si qua fertur, per se solos eos adstringere, quorum causa acta est.

3. At si in particulari causa, aut illius occasione, aut alias alicujus legis (universalis) ecclesiasticae interpretatio fit, difficultas est, quousque haec interpretatio vim suam extendat. Circa quod dico:

1) Talem interpretationem, etsi ex sola praxi S. Congr. colligatur, probabilem esse, nemo nisi temere negaverit; quare in quantum probabilis opinio jus agendi eaque utendi tribuit, eam interpretationem seu sententiam etiam alios in simili causa sequi posse, satis patet. Quamquam caute consideranda sunt singula adjuncta, ne quid ultra mentem S. Congr. colligatur.

2) Verum etiam possibile est, ut constanti praxi et interpretatione a S. Congr. facta ita de legis sensu constet, ut alia interpretatio tamquam non-probabilis debeat exsulare: quod quando locum habeat, multa consideratione opus est.

3) Fieri saepe potest, ut S. Congr. — id quod praecipue observari licet in S. C. C., in aliis Congr. pro ambitu suae potestatis — in singulari causa decidenda nitatur in legis universalis interpretatione hucusque non omnino indubitata, eamque seu expresse seu tacite pro universali norma statuatur. Quod si fit interpretatione *mere comprehensiva*<sup>1</sup>, haec omnes, etiam promulgatione nulla secuta, obligat; si fit interpretatione *extensiva*, haec extra causam particularem, quam S. Congr. decedit, non obligat, nisi ex speciali mandato S. Pontificis fiat atque rite promulgetur: excipitur S. Rituum Congr., de qua statim infra. Nam quum S. Congr. *legiferam* potestatem *non habeant*, extensiva autem interpretatio ex parte nova lex sit, plane requiritur, ut et legislatrix (R. Pontificis) potestas, et forma legem essentialiter complens, promulgationem dico, accedat. Hanc sententiam tenet Phillips *Kirchenrecht* § 200 in fine, eamque imprimis nitide exponit atque defendit Schmalzgr. *Jus ecclesiast. dissert. prooem.* n. 373—377, ubi etiam

<sup>1</sup> „Mere comprehensivae sunt“, ut utar verbis Schmalzgrueber *diss. prooem.* n. 373, „si sensus sic declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedit; extensivae, si illam egrediantur, et ultra id, quod verba proprie et secundum usum communem accepta denotent, aliquid concedant, prohibeant, dispensent etc.“ (cf. n. 149).

ex multorum scriptorum sententia, ut Cottonii, Gobat, de Luca, Engl, Wiestner, Reiffenstuel etc. quoad ipsas declarationes comprehensivas requirit, ut „Papa consulto factae, a Cardinale Praefecto subscriptae, et consueto Congregationis sigillo munitae sint“. Idem Söll *de leg.* n. 470 sqq. Hac igitur distinctione ipsarum declarationum facta, facile componuntur, quae diversi scriptores diverse sentire videntur, aliis affirmantibus, aliis negantibus vim universaliter obligandi nisi accesserit speciale mandatum R. Pontificis atque consueta promulgatio; quam ceteroquin *utramque sententiam S. Alph. l. 1 n. 106 probabiliter* dicit, sensu saltem explicato.

205 VI. S. Rituum Congregatio, etiam R. Pontifice non consulto neque approbante, potestatem leges ferendi habet, ut ex const. Sixti V. „*Immensa*“, et variis decretis apparet. Sufficit retulisse decretum 23. Maji 1846, a S. Pontif. Pio IX. 17. Julii ejusdem anni in omnibus approbatum atque confirmatum:

„Ad sequens dubium „An decreta a S. R. Congr. emanata et responsiones quaecunque ab ipsa propositis dubiis scripto formiter editae eandem habeant auctoritatem, ac si immediate ab ipso S. Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae?“ respondit S. C. „Affirmative“.

Quid autem ex hoc decreto aliisque vim ejusmodi decretorum extolentibus responsis sequatur, quid non, fere depromendum censui ex erudita dissertatione ephemeridis Florent. „*Archivio dell' Ecclesiastico*“ fasc. II mense Febr. 1864, uti prostat denuo impressum Romae ex typogr. Rev. Cam. Apost. 1866 in summaria appendice ad „*votum Al. Marchesi S. R. C. Consultoris*“ in quaestione „*de distribuenda Euch. in Missa defunct.*“ Nimirum quum hae sententiae in ipsa Urbe tanto favore excipiantur, eas probabilitate practica destitui, vix quisquam dicere ausus fuerit.

1. Decreta S. R. C. particularia sine dubio obligant dioecesim, locum, ordinem religiosum particularem, ad quem sunt directa; decreta generalia universam Ecclesiam adstringunt.

NB. Si doctissimus scriptor addit, hanc obligandi vim perinde inesse, sive S. C. usa sit verbis praeeptivis *decrevit, servari mandavit*, sive aliis, ut: *ita declaravit, rescripsit, respondit*: salvo meliori iudicio, nolim indistincte consentire. Vid. aliquando ex subjecta materia apparere potest, agi de vero praeepto, etsi S. C. solummodo dicat: „*ita rescripsit*“; quod si ex ipsa re subjecta non apparet, puto verba „*rescripsit*“ mitiori modo intelligenda esse.

2. Decreta quaecunque particularia saltem norma sunt, quomodo convenienter agatur, pro tota Ecclesia. — Quod ita tamen accipe, ut non transferas ad ea, quae quandam exceptionem, dispensationem, privilegium ab universali aliqua lege liturgica contineant, sed de iis intelligas, quae legis explicationes sunt, ut patet ex responso S. R. C. 8. Apr. 1854 „An decreta, indulta, decisiones S. hujus Congreg., quae emissae fuerant (vel in posterum emittendae) super recursus particularium, i. e. vel dioecesis, vel ordinis, vel loci etc., quaeque authentice deprehendantur in octo tomis operis vulgo *del Gardellini*, sint ipsaemet in iisdem casibus alibi applicabiles, ac tuto adoptandae, quasi essent pro ubique decisae? etc.“ R. „Decreta, qualia inducantur, non valere ex se, sed requiri pro singulis specialem approbationem a S. R. C.“

3. Quamquam decreta particularia et declarationes extensivae non universaliter promulgatae ubique reverenter suscipienda sint (siquidem quod in uno loco decet, in altero vix dedecet): nihilominus *per se* proprie et in rigore non obligant nisi eos, pro quibus emanarunt. *Alunde* tamen fieri potest, ut alios etiam obligent, e. g. a) si in aliqua alia dioecesi synodalis lex in certa materia idem praescribit; b) si legitima consuetudine idem factum sit lex; c) si ipsa S. R. C. decretum particulare ad alia loca vel totam Ecclesiam extenderit.

Alias obligationem existere non probatur. Nam 1) quod aliqui dicunt, idque recte, responsa et decreta hujus C. esse observanda ut responsa ipsius R. Pontif., hoc certo non probat eorum universalem obligandi vim, quasi quae S. Pontifex particulari loco praescribat, jam universalis lex evadat! 2) Ipsa S. R. C. probe distinguit decreta particularia et universalis; imo usitatissimum est, eam ad plura quaesita particularia respondere et unum alterumve quaesitum excipere, ut hujus occasione edat universale decretum: at quo fine haec fit distinctio, nisi vere alia est obligatio universalis decreti, alia particularis? 3) Responsum sive decretum novum, etsi ederetur a S. Pontifice, quando formam particularis decreti prae se fert: neque mentem legislatoris universaliter obligandi satis ostendit, neque essentielle elementum, promulgationem universalem, habet; ergo nequit esse universalis lex (nimirum intimatio fit solum ei, qui interrogat). Neque subsequens authentica collectio ea est, quae promulgationis loco esse possit: eam enim fieri, nimis per accidens est, neque fit *jussu legislatoris*; at promulgatio *jussu legislatoris* fiat necesse est 2.

4. Verum, si decretum vel etiam simplex responsum est legis jam existentis mera declaratio *comprehensiva* (v. supra), prorsus fateor, etiamsi forma sit particularis responsi, neque nunc promulgatio universalis fiat, nihilominus omnes ubique, idque jam vi legis antea existentis, adstringi, qui utcunque *sensum* legis vel Congregationis cognoverint.

## § 5.

*De lege directiva, poenali, mixta.*

Quae hucusque de legum diversitate diximus, ad diversam earum *originem* referuntur. Quoad *diversos effectus* praecipue quaedam observanda sunt circa leges poenales et leges irritantes.

Lex *directiva* a diversis diverso sensu accipitur. Alii eam opponunt poenali, ita ut directionem etiam conscientiae *obligantem* intelligant: quo sensu fatentur, etiam Superiorem, qui poenae non subjaceat, legi propriae — etsi imperfecte tantum — subjacere. Ita Suarez constanter sumit vocem *directiva*. — Alii *directivam* cum

<sup>1</sup> Cf. Gardell. n. 5465, ubi S. C. interrogata, num sola decreta sive formaliter sive aequivalenter generalia omnes obligent, respondit: „*Consulat probatos auctores*.“

<sup>2</sup> Aliud videris in „*authentica collectione precum et piorum operum*, quibus indulgentiae sunt annexae“, jussu S. Pontificis Pii IX. et Leonis XIII. in lucem edita simul cum decreto, ut in omnibus dubiis dirimendis haec collectio unica sit norma. — Simile quid observari licet in nuperrima collectione: „*Decreta auth. S. C. Indulg. et S. Reliq.*“, Leonis XIII. auctoritate edita.

*consulente, suadente* convertunt, ut excludant veram et strictam conscientiae obligationem; quo sensu multi loquuntur de pluribus rubricis, de regulis religiosorum etc. Quare semper attendi debet, quem sensum scriptor suis locis intelligat.

Lex *poenalis tantum* quo sensu dicatur, supra explicatum est cap. 3 art. 4 n. 146: ubi videris, nequaquam *omnem* obligationem in conscientia vel *ad culpam* excludi, sed *tantum immediatam*.

Lex *mixta* dicitur, quae immediate obligat ad actum faciendum sive omittendum, et insuper contra violantes legem poenam statuit.

208 I. Lex naturalis non continet leges mere poenales. Quod ex ejus conceptu constat. Nam lex naturalis versatur de intrinsece malis et de bonis necessariis; poenam autem solvi, nunquam est *per se* et ex natura rei necessarium, *nisi propter delictum*.

II. Legislator humanus potest legem mere poenalem statuere: nimirum non tenetur semper perfecto modo potestatem legiferam in certa quadam materia exercere. Sicut videlicet rem etiam gravem imperfecte praecipere potest *sub culpa veniali*; ita etiam saepe non repugnat, quin contentus sit altero modo imperfecto, exigens solam poenam a transgressoribus.

Verum in ecclesiastica disciplina leges mere poenales raro inveniuntur, atque eas mixtas et *sub perfecta obligatione* latas esse, praesumi debet, donec contrarium probetur. In jure autem civili leges illas mere poenales facilius invenies.

209 III. Exsistunt, imprimis in jure ecclesiastico, leges statuantes poenam, quae ipso facto incurratur: quod tum maxime fieri potest, si lex poenalis est spiritualis. Sic ante omnem sententiam *curae* incurruntur.

Si vero consistit poena in privatione alicujus juris *acquisiti*, vel (quae) infamiam secum ferret, etsi „*ipso facto*“ statuitur poena, tamen requiritur *sententia judicis* non condemnatoria quidem, sed *declaratoria* saltem commissi criminis. Nam haec *criminis* declaratio etiam tum requiritur, si lex statuit poenam „*nulla exspectata declaratione*“: quod sic intelligitur, ut *poenae quidem* declaratio exspectari non debeat, exspectetur tamen declaratio criminis. Ita S. Alph. l. 1 n. 148 cum innumeris aliis.

At poena, quae in privatione juris *acquirendi* consistit, ut „non faciendi fructus suos“, vel, ut communius etiam tenetur, inhabilitas ad beneficia eccles., incurritur *ante omnem sententiam*. Ib. n. 149. Cf. The-saurus *de poenis eccles.* p. I c. V.

IV. Si poena est *exorbitans*, quae ipso facto sine judicis interventu incurrenda proponitur, ex S. Alph. l. 7 n. 351, qui in suum sensum allegat S. Thom. II. II. q. 65 a. 8 et Nav. *Manuale* c. 27 n. 174, ipsius poenae, non solum legis prohibentis, ignorantia ab ea contrahenda in foro conscientiae excusat, siquidem ne in confuso quidem in poenae causam *ut talem* transgressor consenserit: quod videtur requiri. — Aliud est, si poena non est inusitata vel exorbitans; nam qui legem violat, se convenientem poenam contrahere non potest ignorare.

Nota ad II. 1. In lege ecclesiastica pro axiomatico habetur, ex gravi-<sup>210</sup> tate poenae additae concludendum esse ad gravitatem praecepti, ita ut poena gravis arguat peccatum mortale. — Quare excommunicatio, suspensio totalis vel saltem gravis, ejusmodi interdictum etc. indicant, praeceptum sub gravi latum esse; verum levior suspensio nondum arguit, rem sub gravi praeceptam esse, sed hoc aliunde eruendum est. S. Alph. l. 1 n. 146. Imo si poenae etiam gravioris alicujus censurae *ferendae sententiae* statuuntur in aliqua re, hanc quidem rem sub gravi a Superiore urgeri posse constat, verum antequam insistat et poenam minetur, nondum constat ex sola poena, rem per se sub gravi fieri debere. S. Alph. ib. n. 147 cum aliis.

2. In lege civili poena valde gravis, quae ad legis transgressionem<sup>211</sup> proportionem non habet, indicat non tam delicti gravitatem, sed potius legem esse mere poenalem: cf. S. Alph. l. 4 (al. 3) n. 616, quod l. 1 n. 147 ex multorum sententia, ut Nav., Cajet. etc. confirmat, qui ajunt, aequum non esse, aliquem pati et poenam temporalem gravissimam, et aeternam, neque id in intentione rationabili legislatoris situm esse; proinde pro minimo esse standum.

3. Cui opinioni eo magis nostris temporibus accedi posse puto, quod legislatores (sume coetum deputatorum) de obligatione vera in conscientia sub reatu gravi coram Deo vix cogitant.

Quare non jam ex formali intentione legislatoris, sed ex ipsa re seu *materia legis* eruendum erit, quae et qualis sit obligatio. Verum quidem est, multas leges debere immediate in conscientia seu sub culpa obligare; neque necessarium est, legislatorem id expresse intendere (alias enim ethnicorum imperatorum leges raro immediate sub culpa obligarent — quod sane cum S. Scriptura non videtur concordare). At verum etiam est, pro multis rebus sufficere plane, ut urgeantur immediate sub poena, quae ipsa lege constituatur. Neque tum deesse omnem obligationem in conscientia, ex supra dictis habes.

In praxi tamen generatim attendi debet, quid communi sensu et recepta consuetudine, aut judicio complurium virorum doctorum habeatur pro lege poenali, quid pro immediate morali: et secundum hanc communem vel probabilem interpretationem legum singularum obligatio intelligenda est.

## § 6.

*De lege irritante.*

Lex irritans dicitur, quae actum, qui in genere suo valide exer-<sup>212</sup> ceri potest atque novum jus fundare, in certis circumstantiis invalidum esse pronuntiat.

I. Ipsa naturalis lex quosdam actus irritat, nimirum quando 1. jus illud, quod homo isto actu acquirere vult, vel potius hujus juris usus ob rerum adjuncta continuam contineat inhonestatem, v. g. matrimonium inter matrem et filium; 2. fortasse etiam — quod tamen ita clarum non est — quando actus iste, si validus esset, jus alienum inevitabiliter et irreparabiliter laederet<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Videtur abs re non esse, notare discrimen inter leges irritantes, prout est lex naturalis aut positiva. Actus illi, qui dicuntur irriti lege naturali irritante, nun-

II. Lex positiva, sive civilis, sive ecclesiastica aliquando efficere potest, ut actus alioqui validi invalidi reddantur. Nimirum si ad commune bonum necessarium est, publica potestas jura privata atque libertatem restringere potest, idque aptis mediis efficaciter faciendi facultatem habere debet. Efficaciter autem commune bonum non semper in tuto positum esset, nisi irritans lex statueretur.

Exemplum habes ex Trid. de matrimoniis clandestinis sess. 24. Cf. etiam discussionem hujus rei et potestatis in Concilio factam (Pallavicini *Historia Conc. Trid.* lib. 22 cap. 4 sqq.), ex qua apparet, pro certo habitum esse a Patribus, publicae auctoritati ut tali hanc potestatem in sua materia competere.

213 III. Nihilominus in singulis legibus probe videndum est, 1. utrum lex ipso facto actum irritet, an irritandum (sc. sententiâ judicis) esse statuat; 2. utrum ipso facto fiat actus irritus simpliciter et in conscientia, an civiliter tantum, ita ut judicialis actio omnis negetur neque lex civilis tali actui sive contractui ullatenus assistat, naturalis tamen actus subsistere pergat.

Videlicet si aut legis verba, aut etiam extra obviium verborum sensum consuetudo legum interpretes id patiuntur, ille sensus intelligi debet, qui libertatem magis intactam relinquit: modo finis legis sic *possit* obtineri; neque verba „actus talis et talis nullus sit“ continuo intelligi debent de nullitate omnimoda etiam in conscientia.

Post judicis sententiam huic etiam in conscientia standum est, modo ne sit injusta.

214 IV. Ignorantia legis irritantis ex se non impedit, quominus actus nullus sit. — Quodsi lex in poenam delicti irritat, ea ignorantia, quae a culpa excusat, excusat etiam a lege: num solius poenae ignorantia, sume ex paragrapho praecedenti.

Etiam metus gravis damni a lege qua irritans est, communiter non excusat: nisi forte lex irritans sit in favorem tantum privatum, qui in speciali casu in gravius incommodum verteretur. Cf. Rebell., qui *de just.* p. 2 l. 2 q. 11 n. 20 affert hujus sent. fautores: Paludan., Angel., Sotum, Ostiens. etc. Cf. etiam reg. juris in 6 reg. 61. —

quam valide fieri possunt neque unquam potuerunt; ejusdem generis quidem actus sunt, qui sint validi, *invalidi* autem sunt actus *hujus infimae speciei*. Quod ex ipso conceptu legis naturalis necessario sequitur, utpote quae cum homine oriatur et de solis necessariis aliquid statuat: pugnat enim secum, aliquem actum *unquam valide* exerceri posse, et eundem *necessario* esse *invalidum*. Sed actus illi, qui lege positiva irritantur, sane ante illam legem validi erant et valide exercebantur: lex enim positiva, saltem humana, *supervenit* post homines humanamque societatem constitutam. — Imo generatim notari debet quoad leges positivas, eas per se in actus *praeteritos* vim suam non exercere, neque quoad poenam neque quoad actuum irrationem: id quod expresse effertur, ita ut nunquam contrarium statui possit, in jure Americano (Americ. Sept.) „No . . . ex post facto law shall be passed“ (art. I. sect. IX. 3), et: „No state shall . . . pass any . . . ex post facto law, or law impairing the obligation of contracts“ (ib. sect. X. 1).

Alias ob solum damnum commune ex legis observatione impendens irritatio legis in particulari casu censetur suspendi.

V. Num lex irritans sit simul prohibens, tum ex ipsis legis verbis tum ex subjecta materia colligi debet. Nisi enim prohibitio clare addatur, ii saltem actus, qui naturaliter validi manent et civiliter tantum redduntur invalidi, per se nondum sunt prohibiti; possunt tamen ansam peccati dare seu fraudulentæ actionis erga alterum.

### § 7.

#### De privilegio.

Cf. S. Alph. *de privil.* cap. I; Theol. Wirceb. *de leg.* cap. 5 art. 3; Mazz. *theol. mor.* tract. 1 disp. 5; Salmantic. tr. 18.

Privilegium dicitur lex quaedam privata, beneficium particulare <sup>215</sup> continens. Effectum cujuslibet legis proprium, obligationem dico conscientiae, privilegium indirecte tantum producit, prohibens, quominus ille, cui privilegium datum est, ab aliis perturbetur.

**Divisio et explicatio.** 1. Privilegium distinguitur *praeter legem* et *contra legem*: prout a lege subditum eximit, aut talem exemptionem non continet, sive quia res, sive quia persona privilegiata non cadit sub legem.

2. Privilegium *mere favorabile* et *odiosum*. Sc. odiosum vocatur, quod dum uni favet, alteri onus, incommodum imponit, aut juri communi, statutis vel consuetudinibus particularibus contrarium est: quare privilegium *contra legem* odiosum esse censetur. Si nihil horum obtinet, favorabile dicitur.

3. *Reale* et *personale*, prout immediate rei et, hac mediante, hominibus conceditur; aut immediate particulari personae confertur, v. g. propter ejus merita, personalem dignitatem, excellentiam.

Reale autem putatur non solum, quod rei materiali inhaeret, vel templo, loco, sed etiam quod muneri seu dignitati, coetui, communitati, religioso ordini datur.

Aliqui distinguunt etiam *locale*; at hoc vere reale est; alii addunt *mixtum*, sed vix indigemus hac distinctione, quum privilegium in hominem semper aliquo modo redundare debeat.

4. Privilegium *gratosum*, *remuneratorium*, *oneratum* (quod etiam dicitur *per modum pacti*): prout datur aut ex mera gratia et liberalitate, aut ex gratitudine ad remuneranda officia praestita, aut per modum alicujus justitiae vel fidelitatis obligationis.

5. Privilegium *ex motu proprio*, et *ad instantiam partis* concessum: quorum sensus per se intelligitur. Id autem discriminis adest, quod privilegium priori modo concessum non fit invalidum ex defectu eorum, quae ex jure in concessione expressa esse debent, insuper praesumptionem subreptionis excludit.

6. Privilegium *primo* et *per se* concessum, et *ad instar* (alterius) datum; dein *ad instar* datum est aut *aeque principaliter*, aut indirecte

vel *accessorie*. Nimirum privilegium *ad instar* explicandum est secundum privilegium alteri jam concessum; verum si *aeque principaliter* datur, non jam subit mutationes, quas fortasse privilegium primitus datum subiturum est, ita ut per se neque crescat cum illo, neque decrescat, vel pereat; si *accessorie* vel *indirecte tantum* concessum est, ita pendet a privilegio primitus et per se dato, ut cum eo augeatur, diminuatur, pereat.

216 Interpretatio privilegiorum.

1. Privilegium mere favorabile est late interpretandum. Verum fac attendas, privilegium contra legem seu jus commune per se censi odiosum.

2. Privilegium odiosum personale est strictae omnino interpretationis, nisi tamen datur *ex motu proprio*.

3. Privilegium reale, aut corpori juris insertum, aut motu proprio datum latae interpretationis est, in quantum deroget juri communi, sed non in quantum alterius juri praepjudicet.

4. Privilegium causae piae, locis piis, ordini religioso concessum semper latae omnino interpretationis est, etsi deroget legi communi etc., vel contra alias personas praepjudicium inferat.

Exempla strictae interpretationis habes: si illegitimo conceditur privilegium „ad ordines suscipiendos“, intelligitur tantum de ordinibus *minoribus*, nisi expresse addatur: „etiam sacros“; si illegitimo vel irregulari datur privilegium ad accipiendum „ecclesiasticum beneficium“, intelligitur beneficium *simplex tantum*; si per privilegium aliquis eximitur ab „oneribus suae civitatis“, intelliguntur onera *extraordinaria*, non ordinaria.

Exempla latae interpretationis sunt: si quod conceditur regularibus, intelligitur etiam novitiis, et monialibus datum; si facultas „per vicarium specialiter deputatum exercenda“ sic intelligitur, ut non requiratur deputatio in singulis casibus, sed tantum illius facultatum generis specialis expressio etc.

217 Cessatio privilegiorum.

Privilegium cessare potest per abusum, per renuntiationem (acceptam), per praescriptionem contra illud factam, per revocationem.

Sola ultima hinc breviter explicatur: alii modi rarius obtinent atque facilius intelliguntur.

1. Condita contraria lege, cui revocatio non additur, sola privilegia in corpore juris inserta censentur abrogata, siquidem haec sola instar legum sunt, quae novae legi debeant cedere, atque haec sola censentur princeps Ecclesiae singillatim nosse vel attendere. — E contrario autem, si alias quaedam privilegia revocantur, in hac revocatione privilegia in corpore juris contenta non habentur pro revocatis, eo quod instar *legum* sunt; revocantur tamen per clausulum *non obstantibus legibus contrariis*.

2. Communis clausula revocatoria *non obstantibus privilegiis* sufficit ad revocanda illa privilegia, quae non habent *specialem* firmitatem.

3. Specialem firmitatem vero habent:

- 1) privilegia religiosorum, et aliquatenus quaelibet remunerativa privilegia;

2) privilegia, quae alias hanc clausulam continent, ut pro revocatis non habeantur, nisi eorum specialis mentio fiat;

3) privilegia a Concilio generali concessa;

4) privilegia onerosa.

Quare ut haec revocata habeantur, requiritur, ut in revocatione privilegiorum dicatur: „non obstantibus privilegiis, quibuslibet“, aut: „etiam speciali vel specialissima mentione dignis“, aut: „ex plenitudine potestatis, motu proprio, ex certa scientia“, paucis, ut addatur aliquid, quo legislator (S. Pontifex) mentem suam clare exprimat.

Imo privilegia onerosa, quae per modum pacti data sunt, in revocatione nomine *privilegiorum* non comprehenduntur, sed nomine *conventionis*: de quibus confer Suarez l. 8 de leg. c. 37. Pauca addam postea, quando de contractibus sermo erit.

Usus privilegiorum.

1. Privilegio communiter aliquis non tenetur uti; per accidens <sup>218</sup> tamen caritas aliave virtus ad id obligare potest.

2. Privilegii usus nihilominus a Superiore, etiam non supremo, imperari potest: imo plura sunt privilegia ordinibus concessa, quae, si acceptata sunt ab ordine vel communitate, pro singulis sunt norma obligans.

3. Privilegii *localis* usus etiam conceditur peregrinis in loco illo existentibus.

## Tractatus III.

### De discordia et concordia cum regula actuum humanorum seu de peccati reatu et bonorum operum merito.

#### Sectio I.

##### De peccato.

Lex, ut supra dictum est, objectivam constituit normam actionum <sup>219</sup> humanarum, quam qui sequitur, moraliter bene, qui negligit, moraliter male agit; eademque vinculum inducit morale, i. e. necessitatem ad utrumlibet, ut scilicet aut impleatur, quod lex requirit, aut reatus culpae cum iis, quae culpam sequuntur, incurratur. Vis igitur legis consideratione reatus culpae seu peccati illustratur. Quid vero sit reatus culpae, seu quae natura peccati, eo magis considerari oportet, quia a theologo et confessario, qui in aestimandis et dijudicandis peccatis plurimum versari debet, cognitio legis praecipue desideratur, quo melius ad dignoscenda peccata juvetur.